


Teol. 4072

Falsariski Stanislaw
Conclusiones Theologicae.

p. L. s. deoxy



IN NOMINE DOMINI AMEN.
CONCLUSIONES
THEOLOGICÆ.



Ex imma 2dæ Divi THOMÆ Doctoris Angelici,

I.

220024*ii*

Homo omne illud, quodcunq; vult, aut humano modo operatur; propter ultimum finem, formalem agit virtualiter tam ex parte operis quam ex parte operantis.

II.

Nullus homo pro eodem tempore potest habere duos vel plures fines ultimos totales adæquatos ut utrumq; efficaciter appetat.

III.

Solis DEUS Illeq; Unus & Trinus est Beatitudo Objectiva hominis.

IV.

Nullus homo seclusa fide habet aliquem appetitum ad Beatitudinem objectivam supernaturalem, scilicet ad DEUM Beatificantem clarè ac intuitivè videndum.

V.

Formalis Beatitudo in clara DEI visione adæquatè consistit.

VI.

Beati in Patria ita necessariò amant DEUM, quoad exercitium; ut ejusmodi exercitium suspendere non possint.

IVX

L. f. f.

VII.

VII.

Beatū in Patria sunt ab intrinseco **impeccabiles**
& in sua beatitudine perpetui.

VIII.

Anīmæ Beatorum quibus nihil luendum su-
rest, post separationem à corpore, obtinent essen-
tialē Beatitudinem & accidentalem sibi extra cor-
pus convenientem.

IX.

Moralitas actuum humanorum desumitur ex ob-
jecto morali ejusdem actus prout rectæ ratio-
ni subjicitur.

X.

Actus morales non solum objectum, sed finis
& circumstantiæ concurrunt.

XI.

Actus exterior prout est mera executio actus in-
terni non adjungit ei bonitatem aut malitiam
in ordine ad præmium vel poenam essentialē.

XII.

Dantur actus humani secundūm speciem suam.
Indifferentes ad bonitatem & malitiam non
autem secundūm individuum.

XIII.

Omnis actus humanus est voluntarius quo ad actus
elicitos, non verò quo ad imperatos.

XIV.

Vera & propriè dicta libertas essentialiter con-
sistit in indifferentia contradictionis quā voluntas
potest agere vel non agere nec sufficit sola sponta-
neitas.

XV.

Radix & origo libertatis in voluntate est indiffe-
rentia judicij rationis sive intellectus.

XVI.

XVI.

Licet voluntas Physicè & efficaciter præmoveatur à DEO, tamen per hoc non læditur sed perficitur ipsius libertas.

XVII.

Nunquam est licitum agere contra conscientiam rectam præcipientem, bene tamen contra consulentem.

XVIII.

Neque etiam contra conscientiam errantem, aut cum conscientia dubia licet agere; bene tamen contra conscientiam scrupulosam, quando scrupulus nullo, aut infimo, aut levi argumento nititur.

XIX.

Non licet sequi opinionem libertati faventem, & minus probabilem in concursu opinionis alterius stantis pro lege & simul probabilioris.

XX.

Ex opinionibus æquè probabilibus quarum altera favet legi; altera libertati; ea teneri debet quætior est.

XXI.

Ad constitutivum legis pertinet, ut sit ordinatio rationis, ut respiciat bonum commune, ut feratur ab eo qui curam communitatis habet, & ut sit promulgata.

XXII.

Omnes res creatæ quæcunq; illæ sunt, sive contingentes, sive necessariæ (licet non eodem modo) subjiciuntur legi æternæ.

XXIII.

LEx æterna considerata in se seu ut est in DEO, à solo DEO & Beatis cognoscitur: prout verò est in suis effectibus, secundum majorem vel minorem irradiationem; ita quoq; ab homine viatore cognosci potest.

XXIV.

XXIV.

LEx naturalis mutationem propriè dictam & dispensationem pati nequit.

XXV.

LEx humana potest præcipere aut prohibere actus internos, qui per se sunt causa exteriorū illos sufficierter manifestantium; imo etiamsi per exteriōres non manifestentur, modò per se requirantur ad integratē in genere moris ut conditiones necessariæ.

XXVI.

LLeges humanæ tam Ecclesiasticæ quam Civiles habent vim obligandi in foro conscientiæ, & interdum cum dispendio vitæ.

XXVII.

LEx humana potest pati epikijam cum mutationem & abrogationem.

XXVIII.

LEx vetus fuit à DEO data per Angelos Moysi apparentes in corpore sibi formato, quæ defacto abrogata est.

XXIX.

LEx vetus fuit prius mortua quam mortifera.

XXX.

LEx nova si sumatur secundūm præcipuam sui partem scilicet Gratiā, incepit ab initio mundi: si verò sumatur prout est præceptiva; non uno tempore secundūm omnes sui partes incepit, quæ tamē in finem mundi duratura est non ultra.

Ad M.D.O.M.G.B.M.I.C.V.H.D.J.C.

ac SS. OO. Cultum & Venerationem.

Defendentur in Lectorio CC. DD. Theologorum Studij Generalis Universitatis Cracoviensis à M. Stanislao Foltanski, Philosophia Doctore Ejusdemq; in Collegio Minorī Professore, sub assistentia M. JOSEPHI POPIOŁEK S.

Theologiae Professoris, Ecclesiae Collegiatæ S. Floriani Canonici,

Annō Domini 1749. Die 27. Novembris.



5. A XIII. 10.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0024807

~~Concordia et concordia~~